

## P R A E F A T I O.

animus etiam syncerus in primis ac simplex. qui cum summa jam senectute, patriæ vestræ rogatu, vel jussu potius, res vestras gestas scribere aggrederetur, neque ad banc aetatem memoriamque nostram pervenire sese scribendo posse consideret, saepe mecum locutus est, & quidem crebro te appellans, cum permoleste ferret excludi sese tempore a tuarum laudum, tuique similium commemoratione. qua nos recommoti, faciendum nobis esse duximus, ut ejus historiam ad te potissimum mitteremus, optimi scilicet senis virique clarissimi, atque hominis disertissimi, plena gravitatis, plena auctoritatis, plena dignitatis lucubrationes; ad sanctissimum itidem, e germanoque illo Platonis auro senem, in clarissima post homines natos republica principem, civemque unum omnium facundissimum. Accipies igitur tu illam, non a nobis quidem, sed a Bembo per nos tibi missam: patriæque tuae utrunque gratulabere: eadem enim res maxime scriptione ac memoria dignas ad historiam suppeditavit, eadem gravissimum luculentissimumque suarum rerum gestarum scriptorem ac testem peperit.